

32
 catur. Afferunt qui sunt in Aegypto Aethiopes, Memnona eis in locis natum, ostendentes antiquam illius regem, quam nunc etiam Memnoniam dicunt. Sed constat illum Troianis cum uiginti peditum milibus, curribus ducentis, praesidio fuisse, multosque Graecos pugnâtem occidisse: tandem per insidias a Thessalis interfectum: corpus eius ab Aethiopibus erectum, crematumque extitisse, ossaque eius ad Tithonum delata. Haec de Memnone in scriptis regni barbari tradunt contineri.

QUOMODO SARDANAPALVS VL-

timus Assyriorum rex propter uoluptates regno ab Arbace Medo priuatus est. Cap. VII.

Sardanapalus a Nino trigelimus rex, ultimus uero Assyriorum, excessit omnes superiores desidia ac uoluptate. Nam praeterquam quod a nullis exterius conspicietur, uitam muliebrem duxit, cum pellicibus, ueste tum purpurea indutus, tum molli lana contexta. Stola insuper muliebri faciem totumque corpus in modum pellicis furo componens, ultra luxum muliebrem lasciuiebat: uocem femineam loquendo imitatus. Non solum cibum potumque qui uoluptate praerent, continuo appetebat, sed luxuriam quoque deditus, nunc uiri, nunc mulieris uice abutebatur, omni posthabita sexus ac pudoris cura. Adeo uero deliciae, turpis uoluptas, incontinentiaque in eo uigere, ut successoribus post obitum suum in sepulchro inscribi barbarica lingua mandaret, quod postmodum Graecis interpretatus est: Haec habeo quae comedi, & quae cum amore & uoluptate percepi. Ea plurima & praecipua relicta sunt. Vita in hunc modum turpiter exacta, imperium Assyriorum, quod diutius perseuerarat, euertit. Arabes quidam genere Medus, uirtute & animi magnitudine praclarus, dux erat copiarum quae singulis annis in Ninam a Medis destinabantur. Contra haec hic amicitia cum Babyloniorum duce nomine Beleso, hortatus est ab eo ut principatum Assyriorum deleteret. Erat enim insignis inter sacerdotes, quos Babylonii Chaldaeos uocant, peritus astrologiae diuinationisque, qui multis praedixerat quae erant proculdubio futura. Hic Arbaci cum amicus esset, eum imperio omnium potiturum praedixit, quibus Sardanapalus regnaret. Laudato uiro, satrapam se illum Babyloniorum, si uera praediceret, facturum promisit. Ipse tanquam Dei uocibus in spem elatus, eum praereliquis ducibus, tum benigne alloquendo, tum beneficijs ad suam beneuolentiam attraxit. Cupiens autem regem atque eius uitam inspicere, data uni ex eunuchis aurea phiala, ad Sardanapalum introductus est. Conspicua regis mollitie et muliebri apparatu, illum ut nullius rei hominem despexit; magisque in spem incubuit a Chaldaeo datam, inita cum Beleso societate, ut ipse Medos ad imperium, Persas ad defectionem sollicitaret, ille uero Babylonios barbarorum que ducem sibi amicum ad communionem consiliorum impelleret. Cum tempus missionis exercitus aduenisset, quislibet de more in patriam secessit. Arabes ad Medos reuersus, illis persuasit ut pro imperio, Persis ut pro libertate sumerent arma. Similiter & Belesus Babylonios impulit ad libertatem: & ad Arabes legatis missis, praefectum eorum sibi familiarum ad societatem consiliorum hortatus est. Acto anno ad Ninam conuenerunt omnes, succedere se de more caeteris simulantibus: re autem uera ut imperium Sardanapalo auferrent. Erant quatuor gentes quae in unum conuenerant, numero milia hominum quadringenta, muniti castris, ac de rebus communibus consultantibus. Cognita defectione Sardanapalus, aliarum nationum exercitum aduersus descendentem ducens, commisso certamine hostes superat; profligati ad montes confugiunt, stadijs a Nina distantes septuaginta: quibus, cum denuo ad campos fortunam experturi descendissent, Sardanapalus cum omnibus copijs occurrit. Instructa acie, per praecionem, ei qui Arbacem aut Babylonium Belesum occidisset, talenta auri ducta: qui uiuos tradidisset, duplex praemium, ac

Mediae